

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Georgivs Maior

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

GEORGIUS MAIOR
Theologus.



*Sanctū opus absq; fide, sine sancto opere haud placet vnq̃
Sancta fides: fidei summa sit ista mea.*

M. D. LXXIV. X ij

GEORGIVS MAIOR NORIBERGAE,
vrbe imperiali, natus anto M. D. 11;

Summè omnium doctrinarum studiosus
à primâ adolescentiâ:

Magister optimarum artium primò, ac dein
sacros. Theologiæ Doctor Vitebergæ
auctoritate publicâ renun-
ciatus;

Quam multis annis, non solum in Academiâ,
verùm etiam Ecclesiâ publicè priuatimque do-
cuit, singulari laude industriæ, pruden-
tiæ, eloquentiæ;

Commentarijs luculentis in præcipuos Euan-
gelicos & Apostolicos libros, alijsque lucubra-
tionibus eruditus, Reipub. literariæ
communicatis celebris;

Obijt senex anno Sal. M. D. LXXIV. Aet.
LXXII. XXIIIX. Nouembr.

Eteostichon Iosephi à Pinu.

*Felici ut genuit Maior te vrbs Norica luce,
Pes tuus Orion vespere laeuis obit.*

IN

IN GEORGIVM MAIOREM
S. Theol. D.

IOAN. MAIORIS IOACHIMI.

*Qui donis animi mensuram nominis implet,
Hec tibi Maiorem parua tabella refert.
Cui linguam Charites, cui Pleiade natus acumen,
Facundosq; dedit Suada canora sonos.
Sed non Mercurius, si vellet, pingere posset:
Ingenium scriptis pinxit ut ipse suis.
Multa tulit fecitq; pie templisq; scholisq;
Illustrans studijs dogmata sacra suis.
Nec tamen effugit deliri iurgia Flacci:
Qui surit in fatum Teutonis ora tuum.
Gratus odor cerebro est, quem mollis Amaracus edit:
Sed nec at immundas illius aura sues.
At tu Maior eris, rumpantur ut ilia Flacco:
Cum fidei fructu perge docere fidem.*

IOAN. LAVTERBACHII.

*Liior nocere cui nequit, laus optima.
Maior ab aeterno Patre multis obrute donis:
Celsa quibus nomen tollis in astra tuum.
Magnus es ingenio: maior virtutibus: imò
Maximus in verâ cognitione Dei.
Fidus, ad ingenuas pueris industrius artes,
Monstrasti latâ fronte Magister iter.*

X ij

Egregium terris idem virtute fuisti
Exemplum, quo sit vita regenda modo.
Quod summū est, Doctor scriptis & voce, salubris
Plantasti dias religionis opes.
Hinc monumenta tui relegens diuina laboris,
Nemo non, saluus qui cupit esse, probat:
Nocturnā versatq; manu, versatq; diurnā:
Proq; tuo grates munere gratius agit:
Dum monumenta tui viuunt diuina laboris:
Perpetuò nomen viuēt in orbe tuum.
Quod Liuor memori nunquam miser eximet auro:
Perpetuo florens tempore nomen erit.

CASP. CROPACII.

Vt te care senex, memorande nepotibus olim,
Hæc ætas meritò prædicat atque colit:
Maxime qui cœli referas penetralia Maior:
Ad populum quando verba sacra at a facis.
Viuis ab ore fluit tibi sermo nectaris instar:
Quemq; doces Christum, corde animoq; geris.
Maiorem afficient seri quoque laude minores:
Et tua non poterit viuida fama mori.

IOAN-